

9

qui de hac re non mandatum ediderit , sed optionem fecerit
 Officium suum vel celebrandi , vel omittendi . Ergo Pius in-
 ter præcipuos habendus est Romanæ Ecclesiæ Pontifex , qui
 Deiparæ honorem amplificaverunt . Fuit enim is fautor im-
 maculati Conceptus , quam qui maxime . Neque sunt au-
 diendi , qui eum dicunt sustulisse Officium vetus Nogarolæ ,
 quod Conceptionis in illo titulus esset *Immaculata* . Quo-
 rum enim Officium illud Franciscanis permetteret , si eum
 titulum perhorresceret ? His autem vivæ vocis oraculo per-
 missum fuisse testis est locuples Vincentius Justinianus (a) ex
 inclyto Ordine Prædicatorum , piæ sententiæ defensor acer-
 rimus . Quamquam in eo , quod permittit , Officio propter
 illam , quam dixi , causam etiam nonnulla mutata sunt . De-
 inde Pius diploma Sixti approbavit illud ipsum , quod est in
 corpore juris Canonici , & Conceptionem non semel habet
 immaculatam . Præterea cum in Officio , quod Pius vulga-
 vit , ea verba legantur , *Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex*
semine Abrahæ , ortæ de tribu Juda , clara ex stirpe David ;
 palam est , non Deiparæ sanctificationem , quæ contigerit
 momento vago , & incerto , celebrari ab Ecclesia , sed natura-
 lem Conceptum , hoc est animæ creationem , & inclusionem
 in corpus . Quid quod illa , quæ citavimus , verba , cum ad
 ortum Mariæ referuntur , naturalem ipsius ortum significant ,
 coelestis gratiæ muneribus illustratum ? Ergo id ipsum decla-
 rant , dum usurpantur in Conceptione . Postremo *Sanctam* ,
 atque *Dignissimam* Conceptionem Officium habet . Non esset
 autem dignissima Ecclesiæ cultu , sed prorsus indigna ; nec
 vero sancta , sed execranda , si peccatum originis admisisset .
 Ut concludam paucis , nomina hæc adjectiva , *Dignissima* , &
Sancta , cum de Mariæ Nativitate dicuntur , simul ortum il-
 lius , præsentemque significant sanctitatem ; non futuram
 tempore incerto post ortum Mariæ . Qui enim hoc arbitraretur ,
 contra mentem Ecclesiæ pessime erraret . Ergo cum
 enuntiantur de Conceptione Mariæ , Conceptionem illius

B natu-

(a) *In additione ad vitam S. Ludovici Bertrandi.*